



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Tractatvs Octavvs. De nomine, definitione, & diuisione gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

7. Adde contra aliquos Scholasticos, quod quia homo in natura lapsa est vulneratus in naturalibus, in natura pura non esset vulneratus in naturalibus, ideo haberet multo maiores vires in natura pura, quam habeat de facto in lapsa, vt probabitur infra, ideoque ex eo, quod in natura lapsa non possit sine gratia supernaturali obseruare totam legem naturalem, non infertur, quod neque posset in natura pura.

8. Ad septimam classem concedo, quod concupiscentia, eiusque motus secundum se præcisè non sunt boni, sed sunt mali, non quidem malitia morali, quæ non possit oriri nisi ex peccato, sed malitia defectus physici, qui defectus non habeat auctorem Deum, sed formaliter loquendo, sit ex nostro nihilo, sicut peccabilitas non habet auctorem Deum, sed est ex nostro nihilo. Sicut igitur natura rationalis innocens potuit à Deo creati cum defectu physico peccabilitatis, qui cum præcesserit peccatum, non fuit ex peccato, sed ex nostro nihilo, sic potuit creati cum defectu concupiscentiæ, qui defectus non fuisset ex peccato, sed ex nostro nihilo, vt fusè explicatum est quæst. 49. vbi ostensum est etiam hanc nostram sententiam fuisse desumptam ex Augustino.

9. Ad octauam classem concedo, quod Deus non posset naturam rationalem innocentem creare cum ignorantia iuris naturalis necessitante physice, vel moraliter ad mortaliter peccandum; sed dico, quod vt crearetur sine tali ignorantia, non indigeret dono, & gratia ordinis supernaturalis, sed sufficeret gratia ordinis naturalis. Ad confirmationem dico implicare, vt Verbum assumat naturam humanam in puris naturalibus; siquidem ipsa vnio hypostatica esset essentialiter supernaturalis, & secum traheret essentialem impeccabilitatem, & alia dona supernaturalia, sine quibus indecens esset dari Verbum humanatum.

10. Ad nonam classem dico, quod Deus posset sine crudelitate hominem innocentem creare subiectum miserijs cõaturalibus mortalitatis, ægritudinum, dolorum &c. vt in his exerceret virtutem patientiæ, & alias præclaras virtutes; & quod hoc ipsum expressè docet Augustinus lib. 3. de lib. Arbit. & lib. 1. Retract. vt probatum est quæst. 50. Augustinus dum contra Pelagianos docet Deum fore inuitum, si paruulos innocentes tot miserijs subiectos conderet, loquitur ex suppositione concedenda à Pelagianis admittentibus testamentum vetus, quod Deus de facto creauerit naturam Adami immunem ab his miserijs, & voluerit mortem, & alias miserijs esse poenam peccati, & sic argumentatur. Deus de facto creauit in Adamo naturam humanam immunem à morte, & ab alijs miserijs, & voluit mortem, ac alias miserijs esse poenam peccati, vt patet ex Genesi, quæ à Pelagio admittitur; sed hoc posito, esset iniustus, si

paruulis sine peccato infligeret has miserijs; nam infligeret penas absque culpa; ergo paruuli non sunt sine peccato, adeoque nascuntur cum peccato originali. Ex hoc non sequitur, quod Deus non potuisset creare naturam humanam subiectam istis miserijs, & quod tunc esset iniustus, imo Augustinus expressè asserit hoc necessario dicendum contra Manichæos, qui non admittunt libros veteris testamenti, vt explicatum est qu. 50.

11. Ad ea, quæ Iansenius opponit contra auctores dicentes Deum posse de potentia absoluta efficere, vt iustus nunquam beetur, peccator nunquam puniatur, quia est supremus omnium dominus, respondeo me non sequi illas sententias, nec illas inferri ex possibilitate puræ naturæ, quam nos defendimus. Adde Iansenium nimis acerbè inuechi contra illas opiniones, quæ fuerunt plurium insignium scholasticorum, etiam antiquorū &c.

TRACTATUS VIII.

De nomine, definitione, & diuisione gratiæ.

S. Th. 1. 2. qu. 111.

QVÆSTIO LII:

Quot modis dicatur gratia, & quid sit?

1. **G**RATIA dicitur multipliciter, sed cum quodam ordine ad vnum primum, ideoque dicitur analogicè. Primo, & principaliter gratia dicitur quod gratis datur. Vt enim, dicit Augustinus tract. in Psal. 43. gratia merito nominatur, quia gratis datur, & sermone 61. de verbis Domini, ideo gratia, quia gratis datur. Vt aliquid gratis detur requiruntur duæ conditiones. Prima est, vt non detur ex debito; & quia quod datur vt præmium meritis, vel vt mercès labori, datur ex debito, ideo non datur gratis, nec est gratia iuxta illud Apostoli ad Romanos 4. *Ei, qui operatur, merces non deputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*; & cap. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia*. Rursum quia quod datur ex eo, quod dans aliquid accepit ab eo, cui dat, datur etiam ex aliquo debito, non datur gratis, nec est gratia. Secunda conditio est, vt non detur ad hoc, vt dans aliquid commodum vicissim accipiat. Qui enim dat, vt accipiat, non gratis dat, sed quodammodo vendit. Gratia in hoc sensu cum explicatis conditionibus optimè definitur ab Aristotele 2. Rhetoricorum, cap. 7. *Gratia est, per quam qui possidet, dicitur gratis dare indigenti, non quia aliquid ab ipso acceperit, neque*

B b

vt

ut aliquid danti commodam accedat, sed ut bene sit indigenti.

2. Secundo quia causa gratis dandi est amor, quo aliquem diligimus, ideo etiam amor dicitur gratia, & in hoc sensu qui amatur à rege ex. gr. dicitur inuenisse gratiam apud regem. Porro amor non solum dicitur gratia, quia est causa gratis dandi, sed etiam quia amans amato gratis dat ipsum amorem, qui amor proinde est primum donum, & prima causa gratis dandi cœtera dona, iuxta illud Io. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.

3. Tertio quia aliquando in vultu, moribus, gestibus, locutione &c. datur quædam venustas, & elegantia concilians amorem, etiam talis venustas, & elegantia dicitur gratia: in quo sensu de Christo propter sermonis amabilitatem dictum est psalmo 44. diffusa est gratia in labijs tuis.

4. Quarto demum quia beneficia gratis collata prouocant accipientem ad illa recompensanda, etiam compensatio beneficij vocatur gratia, ideoque dicitur quis agere gratias, & reddere gratiam: in quo sensu Dauid 2. Regum dixit, sed & ego reddam gratiam. Videri potest S. Thomas 1. 2. quæst. 110. art. 1.

QVÆSTIO LIII.

Diuiso gratiæ in naturalem, & supernaturalem.

1. **G**ratia diuina primo modo dicta, in quantum sumitur pro dono gratuito, diuiditur primo in philosophicam, vel quasi philosophicam, & theologicam. Gratia philosophica est donum Dei gratuitum purè naturale. In hoc sensu gratia Dei est, quod sumus, viuimus, vtimur ratione, & libero arbitrio, quia Deus hæc omnia dedit nobis gratis, & sine vlllo debito, siquidem antequam essemus, Deus non habebat vlllum debitum creandi nos.

2. Gratia theologica est donum Dei gratuitum naturæ superadditum, & indebitum, eiusque exigentiam excedens; vt fides, spes, charitas, & auxilia, per quæ eleuamur ad credendum, sperandum, & diligendum Deum, prout oportet ad salutem.

3. Hanc gratiæ diuisionem indicat S. Augustinus in psalmum 44. dicens. Attendamus gratiam Dei, non solum qua fecit nos, verum etiam qua refecit. Gratia nimirum, qua Deus fecit nos, est naturalis, & quasi philosophica; gratia, qua refecit, est supernaturalis, & theologica; & epist. 95. Etsi quadam non improbanda ratione dicitur gratia, qua creati sumus &c. alia est tamen, qua prædestinati vocamur, iustificamur, glorificamur. Addit S. Augustinus eadem epistola 95. in Scripturis nomine gratiæ non intelligi philosophicam, seu creationis, sed theo-

logicam, ac dicit. Hanc apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, qua saluamur, & iustificamur ex fide Christi &c. illam verò gratiam, qua creati sumus homines, etiam si ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in vllis legitimis prophetiis, euangelicis, apostolicisque literis legitur.

QVÆSTIO LIV.

Diuiso gratiæ in eam, qua datur non dignis, & qua datur indignis.

1. **D**iuiditur secundo gratia theologica in gratiam, quæ supra omnem exigentiam naturæ datur non dignis, qualis est gratia data in creatione angelis, & primis parentibus ante peccatum, & gratia vnice hypostatica data humanitati Christi: & in gratiam, quæ datur peccatoribus, & indignis, qualis est gratia, quæ datur hominibus pro peccato originali, per quod omnes nati sunt peccatores, & indigni. Certum est, quod omnis gratia conferens ad salutem, quæ datur peccatoribus, & indignis, est gratia per Christum, cum detur ex meritis Christi. Vnde enim de Christo loquens dixit S. Petrus ad Romanos 4. Non est in aliquo alto salus. Nec enim alio nomen est sub celo datum hominibus, in quo operentur nos saluos esse. Certum est rursus gratiam vnice hypostaticam datam fuisse humanitati Christi, non ex meritis Christi, sed ex pura liberalitate Dei. Vt enim dicit S. Augustinus de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. Etsi clarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ, per saluatores, ipse mediator Dei, & hominum, Christus Iesus, qui ut hoc esset, quibus tandem vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, non humana, quæ in illo est, comparauit? Dubitandum vtrum gratia Angelis, & primis parentibus ante peccatum data fuerit ex meritis Christi, adeoque sit gratia per Christum, an data fuerit ex pura liberalitate Dei, & non ex meritis Christi, ac proinde non sit gratia per Christum; & auctores in hoc puncto non conueniunt, & decisio quæstionis non spectat ad hunc locum, sed ad tractatum de Incarnatione.

QVÆSTIO LV.

Diuiso gratiæ in creatam, & increatam.

1. **D**iuiditur tertio gratia in creatam, & increatam. Gratia increata est donum gratis collatum. Et quia Deus spiritus gratis dat Spiritum Sanctum iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, imo dat totam Trinitatem, vt ipse modo habitet in iustis, iuxta illud Io. 14.

ram dñm emus, & mansorem apud eum faciemus, ideo Spiritus Sanctus, & tota Trinitas sunt gratia increata, gratis collata iustis. Vt enim dicit S. Augustinus serm. 61. de verbis Domini, cap. 1. *Gratia quippe Dei donum Dei est; donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est, & ideo gratia dicitur.* Verbum etiam diuinum est gratia increata humanitati Christi gratis collata, vt in ea sit intrinsicè, & substantialiter per vnionem hypostaticam. Amor Dei, quo Deus ab æterno nos dilexit, & voluit in tempore dare nobis dona gratiæ, est gratia increata, & æterna, siquidem Deus ab æterno gratis donauit nobis ipsum suum amorem, qui amor proinde est primum donum, & prima gratia.

2. Gratia creata, & temporalis sunt beneficia creata vocationis, sanctificationis, & glorificationis &c. quæ ex æterna prædestinationis gratia, vt effectus ex causa deriuantur. Vt enim dicit Apostolus ad Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Hanc diuisionem in gratiam æternam, & increatam prædestinationis, & in temporalem vocationis, iustificationis &c. insinuat Augustinus lib. de hæresibus, hæresi 88. dicens Pelagianos fuisse inimicos gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem Filiorum Dei per Christum, & qua erimur à potestate tenebrarum.

3. Licet S. Augustinus ponat ytramque gratiam, æternam nimirum prædestinationis, & temporalem, tamen simpliciter, & absolute nomine gratiæ solet intelligere beneficia in tempore nobis à Deo gratis collata in ordine ad salutem: prædestinationem autem æternam vt plurimum vocat præparationem gratiæ, & beneficiorum conferendorum in tempore, vt patet ex cap. 11. libri de Prædestinatione Sanctorum, vbi dicit. *Inter prædestinationem porro, & gratiam hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratia præparatio, gratia verò iam ipsa donatio.*

QVÆSTIO LVII.

Diuisio gratiæ in internam, & externam.

1. Diuiditur quarto gratia in externam, & internam. Gratia interna est, quæ intrinsicè afficit, aut mouet ipsam animam, vel eius internas, & spirituales potentias, intellectum nimirum, & voluntatem. Gratia externa continet beneficia gratis collata, quæ non intrinsicè afficiunt, aut mouent animam, vel eius spirituales potentias, intellectum nimirum, & voluntatem. Ad gratiam internam spectant gratia sanctificans, & virtutes infusæ, nimirum fides, Spes, Charitas, & ipse Spiritus Sanctus illuminans intellectum, & voluntatem; charitate inflammans; actuales præterea illuminationes intellectus, & inspirationes, hoc est sancti affectus voluntati in-

spirati, Ad gratiam externam spectant mors Christi, sacramenta, prædicatio euangelij, occasiones bene agendi, subtractio occasionum malè agendi, immutationes factæ in sensu, imaginatione, appetitu sensitiuo, aliisque potentijs distinctis ab intellectu, & voluntate. De hac gratia externa loquitur S. Augustinus lib. 50. Homiliarum, homil. 13. dicens in Persona Dei: *Regebam te mihi, & seruabam te mihi. Vt adulterium non committeres, suator defuit; ut suator deesset ego feci; locus, & tempus defuit; ut hæc deessent, ego feci, & concludit; agnosce ergo gratiam.*

QVÆSTIO LVII.

Diuisio gratiæ in gratum facientem, & gratis datam.

S. Tho. 1. 2. quæst. 111. artic. 1. 4. & 5.

1. Diuiditur quinto gratia ex S. Thoma 1. 2. quæst. 111. art. 1. & alijs in gratiam gratis datam, & gratum facientem. Gratia gratum faciens est donum gratuitum naturæ indebitum, eiusque exigentiam excedens, collatum principaliter ad sanctificandum, & Deo gratum reddendum subiectum, cui datur. Gratia igitur gratum faciens continet gratiam sanctificantem, virtutes per se infusæ, tum theologicas, tum morales, & earum actus, auxilia illuminationum, & inspirationum, quibus excitamur, & adiuuamur ad faciendos actus supernaturales, & meritorios vitæ æternæ &c. quia omnia hæc dona dantur principaliter ad sanctificandum subiectum, cui dantur.

2. Gratia gratis data est donum gratuitum naturæ indebitum, eiusque exigentiam excedens, collatum principaliter, non ad sanctificandum subiectum, cui datur, sed ad sanctificandos alios. Vt enim aduertit Suarez To. 1. de gratia, Prolegomeno 3. cap. 4. num. 7. sicut in corporibus animalium, & plantarum præter potentiam nutritiuam, & augmentatiuam, quæ ordinantur principaliter ad bonum, & perfectionem subiecti, & indiuidui, datur potentia generatiua, & facultates illi defernientes, quæ principaliter ordinantur ad bonum totius speciei; sic in corpore mystico Ecclesiæ præter dona gratiæ gratum facientis, quæ ordinantur principaliter ad bonum subiecti, dantur gratiæ gratis datæ, quæ ordinantur principaliter ad bonum totius Ecclesiæ; ideoque S. Clemens lib. 8. Constitutionum, cap. 1. docet charismata, seu gratias gratis datas, collata fuisse Apostolis, deinde alijs, non quidem ad illorum vtilitatem, qui charismata illa operantur, sed vt qui non credunt, ad credendum inducantur.

3. Nouem gratias gratis datas enumerat Apostolus 2. ad Corinth. 12. dicens. *Alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alij fides in eodem Spiritu,*

ritu, alij gratia sanitarum, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Prima igitur gratia gratis data est sermo sapientiae, hoc est donum supernaturale ex principijs fidei inferendi conclusiones circa diuina. Secunda est sermo scientiae, hoc est donum supernaturale ex principijs fidei inferendi conclusiones circa humana. Tertia est fides, hoc est donum supernaturale penetrandi, & explicandi ipsa principia, & mysteria fidei diuinitus reuelata. Notat autem S. Thomas 1. 2. quaestione 111. artic. 4. fidem, quae est gratia gratis data, distingui à fide, quae est virtus theologica, & spectat ad gratiam gratum facientem. Nam fides virtus theologica est habitus assentiendi mysterijs reuelatis, ordinatus principaliter ad sanctificandum subiectum, in quo est. At fides gratis data est donum penetrandi mysteria, prout requiritur ad alios instruendos, ordinata principaliter ad sanctificationem aliorum. Quarta est gratia sanitarum, hoc est donum supernaturale sanandi corpora. Quinta est operatio virtutum, hoc est donum supernaturale faciendi opera miraculosa, & per naturam impossibilia, non spectantia ad sanitatem corporum, qualia fecit Moyses in Aegypto. Sexta est prophetia, hoc est donum supernaturale praeuocandi futura contingentia, quae Deo soli sunt naturaliter nota. Septima est discretio spirituum, hoc est donum supernaturale penetrandi secreta cordium, soli Deo naturaliter nota. Octaua est genera linguarum, hoc est donum supernaturale loquendi varijs linguis. Nona est interpretatio sermonum, hoc est donum supernaturale explicandi alijs quae spectant ad fidem, & mores.

4. Ratio harum gratiarum ex S. Thoma 1. 2. quaest. 111. artic. 4. est, quia ad propagandam fidem in alijs tria requiruntur. Primo vt doctores, & praedicatores penetrent mysteria fidei, & sciant ex ipsis inferre conclusiones circa diuina, & humana; sed ad penetranda mysteria fidei requiritur gratia fidei, ad inferendas conclusiones circa diuina, & humana requiruntur gratiae, quae vocantur sermo sapientiae, & scientiae; ergo. Secundo requiritur, vt doctor possit sensum mysteriorum fidei explicare auditoribus per donum, quod dicitur interpretatio sermonum, & vt possit explicare linguis, quae ab auditoribus variarum nationum intelligantur, per donum linguarum. Tertio demum requiritur, vt possit doctrinam fidei confirmare, faciendo miracula naturae impossibilia per gratiam sanitarum, & operationem virtutum, & enunciando quae solus Deus potest naturaliter scire per dona prophetiae, & discretionis spirituum.

5. Obiicies: gratia gratum faciens est gratis data; ergo male gratia diuiditur in gratum facientem, & gratis datam, siquidem primum

membrum includitur in secundo contra regulas diuisionis.

6. Resp. distingo antecedens; gratia gratum faciens est gratis data genericè, cetero; specificè, nego; & nego consequentiam. Aliquando genus diuiditur in duas aut plures species, alteram perfectiorem, alteram imperfectiorem, ac speciei imperfectiori imponitur proprium nomen, speciei autem imperfectiori attribuitur nomen generis; angeli diuiduntur in nouem choros, & angelum superiorum chororum vocantur nominibus peculiaribus archangeli, throni, & angeli autem infimi chori vocantur nomine generico angeli. In casu nostro gratia hoc est donum supernaturale gratis data diuiditur in duas species, & gratia ordinata ad sanctificandum subiectum, vt potè perfectior, vocatur proprio nomine gratia gratum faciens, quia non solum est gratia secundum rationem genericam, secundum quam datur, sed etiam secundum rationem differentialem, secundum quam reddit subiectum Deo gratum; gratia autem ordinata ad sanctificandos alios, vt potè imperfectior, cap proprio nomine, & vocatur nomine generico gratia gratis data.

7. Ratio autem, quare gratia gratum faciens sit perfectior, est, quia cum gratia litidens, adeoque entis ens, illa gratia est perfectior, quae magis perficit subiectum; sed gratia ordinata ad subiectum sanctificandum magis perficit subiectum, quam quae ordinata principaliter ad sanctificandos alios; ergo. Confirmatur: nam medium est imperfectum sine; sed gratiae gratis datae habent pro fine vt alij perficiantur, & sanctificentur per donum gratiae gratum facientis; ergo &c.

8. Duo sunt praecipua discrimina gratiae gratis datae à gratia gratum faciente. Primum discrimen est: gratiae gratis datae etiam cum simul possunt dari in peccatoribus, vt patet ex verbis Christi Matth. 7. Multi dicunt mihi Domine in illa die, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & demonia eiecimus, & virtutes multas fecimus; & tunc confitebor illi, quia non noui vos; discedite à me, qui operamini in iniquitatem. At gratiae gratum facientes omnes in peccatoribus non possunt dari in peccatoribus. Nam si fides, & spes &c. possint dari in peccatoribus, & gratia sanctificans non potest dari in peccatoribus.

9. Secundum discrimen est: dona gratum facientis sunt maxima bona, quae nimirum iuxta doctrinam Augustini non potest malè vti. Consistunt enim in habitibus, & auxilijs ad bene agendum, quibus uti possumus non vti, tamen si illis vti non possumus malè vti, ita vt per vsum suum, & per actus ab ipsis elicitos peccemus. At gratiae gratis datae sunt bona non maxima siquidem possumus illis malè vti, peccando per vsum ipsorum. Potest enim quis malè vti prophetia, & virtute faciendi miracula.

prophetando; & faciendo miracula ex fine
vana gloriæ, vel ex alio prauo fine. Ideo qui
habet gratias gratis datas, vt illis bene vtatur,
indiget auxilijs gratiæ gratum facientis. Vi-
deri potest Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 111.
art. 1. 4. & 5. & Suarius tomo 1. de gratia, Pro-
legomeno 3. cap. 4. & 5.

10. Gratia gratis data dari possunt, vel
permanentem, & per modum habitus, vt da-
tae fuerunt Christo, vel non permanentem, &
per modum habitus, sed per modum actus,
vt plerumque dantur vitis sanctis. Neque
enim viri sancti habebant habitum prophe-
tandi; & miracula faciendi, quoties volebant,
sed solum in certis opportunitatibus spiritu
prophetiæ, vel faciendi miracula diuinitus
afflabantur.

QVÆSTIO LVIII.

*Diuisio gratiæ in habitualem, & actua-
lem.*

1. **D**ividitur sexto gratia gratum faciens
in permanentem, siue habitualem, &
actualem. Gratia permanens, & habitualis
consistit in habitibus supernaturalibus fidei,
spei, charitatis, gratiæ sanctificantis, & alia-
rum virtutum infusarum. Gratia actualis
consistit in specialibus auxilijs naturæ indebi-
tis, quibus Deus nos mouet, & adiuuat ad
faciendos actus salutare supernaturales, ac
meritorios vitæ æternæ, & in ipsis actibus sa-
lutaribus meritorijs vitæ æternæ sunt
dona Dei naturæ indebita, eiusque exigen-
tiam excedentia, gratis nobis collata, ac pro-
inde sunt proprijsimè gratia; ideoque S. Au-
gustinus in Enchiridio, cap. 7. docet Deum
dum remuneratur merita nostra, remunerari
dona sua, siquidem nostra merita sunt gratui-
ta dona Dei; idemque latius confirmat lib.
de gratia, & lib. arbitrii, cap. 6. & Cælestinus
Papa in Epistola ad Episcopos Galliæ, cap. 11.
dicit: *Tanta enim est erga homines bonitas Dei,
vt nostra velit esse merita, que sunt ipsius dona,
& pro his, que largitus est, æterna præmia sit dona-
turus.*

2. Hinc gratia actualis potest subdiuidi
in ipsos actus salutare, & in auxilia specia-
lia, quibus mouemur, & adiuuamur ad fa-
ciendos actus salutare. Duplex nimirum est
auxilium Dei, generale, & speciale. Auxi-
lium generale est, quo Deus ad exigentiam
causarum secundarum concurrat ad faciendas
eandem naturales actiones, puta qua ad
exigentiam Solis concurrat, & adiuuat Solem
ad illuminandum; & hoc auxilium generale,
vt potè aliquo pacto debitum causis secundis,
licet sit gratia philosophica, non est gratia
theologica. Auxilium speciale est, quo Deus
supra exigentiam naturæ concurrat, & adiuuat

creaturas intellectivas ad faciendos actus salu-
tates, & supernaturales credendi, sperandi, &
amandi &c. & hoc auxilium est proprijsimè
gratia theologica, siquidem est donum gratui-
tum naturæ exigentiam excedens.

3. Diuisionem gratiæ in habitualem, &
actualem insinuat Concilium Mileuiranum
cap. 3. dicens. *Quicumque dixerit, gratiam Dei,
qua iustificamur per Christum Dominum nostrum,
ad solam remissionem peccatorum valere, que iam
commissa sunt, non autem ad adiutorium, vt non
committantur, anathema sit.* Gratia nimirum
remissiuæ peccatorum commissorum est ha-
bitualis; gratia adiuuans ad non peccandum
est gratia actualis auxiliij. Eandem diuisio-
nem indicat Augustinus Epist. 95. ad Inno-
centium, vbi distinguit gratiam, qua iustifi-
camur à peccatis, & qua saluamur ab infir-
mitate, & infra docet ad hanc gratiam spe-
ctare quiddam per subministrationem Spiritus
Sancti pertinet ad concupiscentias, tentationesque
vincendas, hoc est auxilia actualia, quæ Spiri-
tus Sanctus subministrat ad vincendas concu-
piscencias, & tentationes.

QVÆSTIO LIX.

*Diuisio gratiæ in præuenientem, subsequenterem,
& comitantem.*

S. Thomas 1. 2. qu. 111. art. 3.

1. **D**ividitur septimo gratia specialis auxiliij
à Magistro in 2. dist. 27. S. Thomas 1. 2.
quæst. 111. art. 2. & 3. quos sequuntur omnes,
in præuenientem, & subsequenterem. De
gratia præueniente dicitur Psalmo 8. *Miseri-
cordia eius præueniet me.* De gratia subsequen-
te dicitur Psalm. 22. *Miseriordia tua subsequetur
me.*

2. Gratia præueniens, & subsequens plu-
ribus modis fuit sumpta, tum ab Augustino,
eiusque discipulis, tum à S. Thoma, & Scho-
lasticis. Primo gratia simpliciter, & anno-
nomasticè præueniens, de qua frequentissimè
contra Pelagianos, & Semipelagianos lo-
quuntur Augustinus, eiusque discipuli, Pro-
sper, & Fulgentius, est quæ præcedit, & præ-
uenit totam collectionem actuum salutarium,
adeoque etiam primum actum, quo liberè
incipimus conari, & velle salutem. Gratia
subsequens est, quæ subsequitur aliquem no-
strum actum liberum, & salutarem, saltem
primum, quo incipimus liberè conari, &
velle salutem, & datur ad hoc, vt perficiamus
quod incepimus. De gratia præueniente, &
subsequente in hoc sensu dixit Augustinus
lib. 2. ad Bonifacium, cap. 9. *Si enim sine illo
nihil possumus facere, profecto nec incipere, nec
perficere: quia vt incipiamus, dictum est, misericor-
dia eius præueniet me: &c. vt perficiamus, di-
ctum est, misericordia eius subsequetur me; & in En-
chiridio, cap. 32. nolentem præuenit, vt velit,
volentem subsequitur, ne frustra velit; vnde vi-
detur*

detur desumptum illud S. Gregorij homil. 9. in Ezechielem: nos præuenit, ut velimus, & volentes subsequitur, ne inaniter velimus, & S. Fulgentij libro 1. ad Monimum: ut præueniente misericordia bonum velle incipiat, & subsequente misericordia, bonum, quod vult, facere valeat.

3. Ratio, quare S. Augustinus, eiusque discipuli potissimum loquuti sint de gratia præueniente totam collectionem actuum salutarium, est, quia cum exorta fuisset controuersia, vtrum voluntas per vires liberi arbitrii incipiat velle bonum, gratia verò subsequatur, & adiuuet voluntatem ad perficiendum quod inceperit; an potius necessariò gratia debeat præcedere, & præuenire omnem actum voluntatis etiam primum, quo incipit velle bonum, Semipelagiani, licet tandem concesserint esse necessariam gratiam subsequentem, ac veluti pedissequam voluntatis, quæ adiuuet volentem ad perficiendum quod vult, semper negarunt esse necessariam gratiam, quæ præueniret ipsum primum velle; ergo Augustinus, eiusque discipuli coacti fuerunt ad agendum potissimum de gratia præueniente etiam primum actum salutarem voluntatis. Hanc autem gratiam præuenientem omnia merita, adeoque omnem actum bonum voluntatis definit Tridentinum sess. 6. cap. 5. dicens. *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse. hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorū existentibus meritis, vocantur.*

4. Secundo, ut bene explicat Vasquez 1. 2. disp. 185. cap. 10. num. 46. & Suarius tom. 2. de gratia, lib. 3. cap. 22. Gratia præueniens est quæ licet non præcedat totam collectionem actuum voluntatis, tamen præuenit per singula opera consensum voluntatis, hoc est actum liberum, & salutarem, quo volumus bene agere. Gratia comitans est, quæ est simul cum consensu, & cum libero arbitrio concurrat ad actum liberum, & salutarem, quo volumus bene agere. Gratia subsequens est, quæ sequitur consensum, seu actum liberum, & salutarem, quo volumus bene agere, & voluntatem adiuuat ad perseverandum in tali actu, & ad exequendum quod volumus. Explicatur exemplo. Cum aliquis vult restituere quod iniuste possidet, & de facto restituit, habet gratiam præuenientem, quæ consistit in illuminationibus intellectus, & inspirationibus voluntatis, quibus impellitur ad dicendum, *volo restituere*: habet gratiam comitantem, quæ consistit in actuali concursu, quo Deus concurrat, & adiuuat ad actum, quo dicit *volo restituere*; & habet gratiam subsequentem, qua postquam dixit, *volo restituere*, mouetur ad perseverandum in eo actu, ad vincendas difficultates restituendi, & ad restituendum re ipsa. Gratiam præuenientem, comitantem, & subsequentem omnes pias actiones, quas homines etiam iustificati exercent, fatetur Tridentinum sess. 6. cap. 16. dicens. *Cum enim ille ipse Christus Iesus, tanquam*

*caput in membra, & tanquam vitis in palmites, ipsos iustificatos iugiter virtutem infundat, quæ ipsius bona ipsorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequatur; sed talis virtus consistit in auxilijs gratiæ actualis, ut bene probat Vasquez 1. 2. disp. 185. cap. 10. num. 46. et Tridentinum docet ad quodlibet opus bonum dari gratiam præuenientem, comitantem, & subsequentem. Eandem gratiam petit Ecclesia in orat. Dominica 16. post Pentecostem dicens: *Tua nos Domine gratia semper præuenit, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstat effectus*; & in alia oratione: *Actiones nostras adsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando sequere*. Cum enim nemo possit, nisi stultitate gratiam præuenientem ipsam orationem qua orat, Ecclesia in ijs orationibus petat gratiam præuenientem singula opera salutaria facienda post orationem, non autem gratiam præuenientem totam collectionem operum salutarium, & ipsam orationem, quam gratia qui orat supponitur iam habuisse.*

5. Tertio S. Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 3. diuisionem gratiæ in præuenientem, & subsequentem applicat gratiæ habituali. Supponit quinque esse præcipuos effectus gratiæ habitualis. Primo sanat animam: secundo facit, ut anima velit bonum: tertio facit, ut in bono perseveret: quarto facit, ut ad gloriam perueniat, Gratia igitur habitualis, in quantum facit effectum, priorem, dicitur præueniens respectu effectus posterioris, & in quantum facit effectum posteriorem, dicitur subsequens respectu effectus prioris. Ex gratia in quantum sanat animam, est præueniens respectu effectus volendi bonum: in quantum facit, ut anima velit bonum, est subsequens respectu effectus sanandi animam: & quia idem effectus, qui est posterior respectu vnius, potest esse prior respectu alterius, ideo gratia, in quantum causat eundem effectum, potest esse præueniens, & subsequens respectu diuersorum. Ex gr. gratia in quantum facit, ut perseveremus in bono, est præueniens respectu effectus consequendi gloriam: & est subsequens respectu effectus primolendi bonum. In confirmationem huiusmodi Arina S. Thomas affert Augustinum in libro chiro, cap. 31. vbi loquens de gratia dicit. *Præuenit ut sanemur, at subsequitur ut sanati getemur; præuenit, ut vocemur, subsequitur, ut iustificemur; præuenit, ut pie viuamus, subsequitur ut cum illo semper viuamus.*

QVÆSTIO LX.

Diuisio gratiæ in excitantem, & adiuuantem.

1. **D**iuiditur octauo gratia in excitantem, & adiuuantem. Gratia excitans dicitur

QVAESTIO LXI.

Diuisio gratia in operantem, & cooperantem.

S. Thom. 1. 2. quæst. 111. art. 2.

Dividitur nono gratia à S. Thoma 1. 2. quæst. 111. art. 2. in operantem, & cooperantem. Hæc diuisio desumpta est ex Augustino lib. de gratia, & lib. arb. cap. 17. ubi explicans verba Apostoli ad Philippenfes 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, dicit; ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens; & paulo post; ut velimus in nobis sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur.*

2. Ex allatis verbis Diui Augustini gratia operans describi potest, per quam Deus incipiens in nobis, sine nobis operatur, ut velimus. Gratia cooperans describi potest, per quam Deus perficiens, cum volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur.

3. Tripliciter potest intelligi, quod Deus operetur in nobis sine nobis. Primo ut operetur sine nobis meritorie nos disponentibus, & mouentibus ad recipiendum id, quod Deus operatur in nobis: secundo ut operetur in nobis sine nobis liberè consentientibus ad recipiendum id, quo Deus operatur in nobis; tertio ut operetur sine nobis physicè, & actiue concurrentibus ad id, quod Deus operatur in nobis, sed merè passiuè nos habentibus. Hinc desumuntur varij modi explicandi gratiam operantem, & cooperantem.

4. Primus, & præcipuus est, ut gratia operans sit, per quam Deus operatur in nobis primum actum bonum salutarem, & meritorium sine nobis meritorie nos ipsos disponentibus, & mouentibus ad illum recipiendum. Hoc enim ipso, quod sit primus actus meritorius, repugnat, ut ad illum meritorie nos disponamus per alium actum meritorium priorem. Gratia cooperans est, per quam Deus operatur in nobis ceteros actus bonos, & meritorios, nobis cooperantibus, hoc est meritorie disponentibus nos ipsos ad illos recipiendos. Et quia primus actus salutaris, & meritorius est primum initium fidei, ad omnes autem alios actus nos ipsos meritorie disponimus per fidem, ideo Deus per gratiam operantem operatur in nobis sine nobis solum, primum initium fidei, alios actus consequentes ad fidem operatur nobiscum per gratiam cooperantem. In hoc sensu gratiam operantem, & cooperantem ut plurimum sumit Augustinus, ut probat Bellarminus tomo 4. lib. 1. de gratia, & lib. arb. cap. 14. cui consentit Iansenius tom. 3. lib. 4. cap. 15. Ratio est, quia Semipelagiani negabant Deum per gratiam operari in nobis primum initium fidei, ac solum concedebant Deum operari actus consequentes fidem; ergo negabant in hoc sensu gratiam operantem, ac solum concede-

dicitur dupliciter. Primo gratia excitans dicitur, quæ voluntatem torpentem, & veluti sopitam excitat ad primum volendum bonum volitione salutari. Gratia adiuuans è conuerso est, quæ voluntatem iam volentem, & conantem, sed infirmam adiuuat, ut bonum, quod vult, perficiat, & exequatur. Pelagiani, & Semipelagiani docuerunt voluntatem per vires naturales liberi arbitrij primo exurgere ad volendum bonum volitione salutari, adeoque non indigere gratia excitante ad primum volendum bonum; conati- bus autem voluntatis infirmis Deum ex merito ipsorum subiungere gratiam adiuuantem ad tales conatus perficiendos, & roborandos, & ad exequendum quod per illos voluntas vult. Catholici è conuerso cum S. Augustino docuerunt non solum Deum per gratiam adiuuare voluntatem, cum iam vult, sed etiam excitare, ut primum velit. Ut enim dicit Augustinus Conc. 1. in Psal. 58. loquens in persona hominis: *non ego prior ad te exurrexi voluntate, sed tu ad me excitandum venisti: nam misericordia eius præueniet me. Antequam aliquid boni ego faciam, misericordia eius præueniet me. Quid hic respondebit infelix Pelagius? & Bernardus lib. de gratia, & lib. arb. conatus nostri cassi sunt, si non adiuuentur, nulli, si non excitentur.*

2. Secundo gratia excitans dicitur, quæ voluntatem pro singulis opportunitatibus excitat ad volendum salutariter singula opera bona; gratia autem adiuuans est, quæ voluntatem volentem singula opera bona adiuuat, & roborat ad illa exequenda. Gratiam excitantem in hoc sensu frequenter in suis orationibus petit Ecclesia, dum dicit: *Excita Domine corda nostra; excita tuorum fidelium voluntates.* Neque enim per has orationes petimus gratiam excitantem ad primum volendum bonum, siquidem ante orationem supponimus iam velle bonum, quod petimus, sed petimus gratiam excitantem ad volendum bonum pro singulis opportunitatibus post orationem occurrentibus, quia Deus per singulas opportunitates excitat nos ad volenda opera bona, ideoque Apocalypsis 3. dicit: *Ego stid ad ostium, & pulso.*

3. Tertio gratia excitans dicitur, quæ per illuminationes intellectus, & inspirationes voluntatis excitat ad volitiones salutares: gratia adiuuans dicitur, quæ per concursum simultaneum adiuuat ad volitiones salutares. Ut enim dicit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 4. *quod ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante, & adiuuante, non possumus.* Excitat nimirum Deus per illuminationes, & inspirationes, adiuuat per concursum simultaneum. In hoc sensu gratia excitans coincidit cum præueniente; gratia adiuuans cum comitante.

cedebant cooperantem; ergo non est mirum quod Augustinus ut plurimum loquatur de hac gratia cooperante in hoc sensu.

5. Secundus modus, in quo gratiam operantem, & cooperantem sumit P. Vasquez, est, ut gratia operans sit, per quam Deus operatur in nobis sanctam cogitationem, & pium motum necessarium voluntatis sine nobis liberè consentientibus: gratia cooperans sit, per quam Deus operatur in nobis ipsum pium actum liberum, nobis liberè consentientibus. Ut enim dicit Concilium Arausicanum cap. 9. *quoties bona operamur, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur operatur*, per gratiam nimirum cooperantem. De gratia operante, & cooperante in hoc sensu loquitur Anselmus in illud 1. ad Corinth. 15. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Notandum inquit, quod superna pietas prius aliquid agit in nobis sine nobis, ut subsequente nostro arbitrio, bonum, quod appetimus, operetur nobiscum, quæ verba desumpta sunt ex S. Gregorio, lib. 16. Moralium, cap. 10.

6. Tertius modus Andree de Vega lib. 6. in Concilium Tridentinum, cap. 8. est, ut gratia operans sit, per quam Deus operatur in nobis sine nobis physicè agentibus sanctam cogitationem, & pium motum voluntatis, qui procedant actiue à sola gratia. Sed hic modus continet doctrinam falsam. Nam sancta cogitatio, & pius motus voluntatis, cum sint actus vitales, procedunt actiue, non à sola gratia, sed etiam à nobis, & à nostris potentijs vitalibus.

7. Quartus modus S. Thomæ 1. 2. qu. 111. quem sequuntur Caietanus, alijque communiter, est, ut gratia operans sit, per quam Deus in nobis facit actum liberum, & salutarem, ad quem nos non liberè mouemus nos ipsos per aliquem actum præcedentem; gratia autem cooperans sit, per quam Deus in nobis facit actum liberum, & salutarem, ad quem liberè nos ipsos mouemus per aliquem actum priorem: & quia ad solum primum actum salutarem non mouemus liberè nos ipsos per aliquem actum priorem, ad cæteros actus aliquo pacto liberè mouemus, ac disponimus nos ipsos per primum actum salutarem; ideo hic modus videtur coincidere cum primo, quem diximus esse S. Augustini.

8. Quintus demum modus est eiusdem S. Thomæ loco citato, qui diuisionem gratiæ in operantem, & cooperantem accommodat gratiæ habituali, ac dicit gratiam habitualement operantem, in quantum nos facit formaliter Deo gratos, quia per se ipsam, & nobis non concurrentibus, facit hunc effectum in genere causæ formalis; in quantum verò est principium operis meritorij, dicit cooperantem, quia opus meritorium facit, nobis actiue, & liberè concurrentibus ad ipsum.

9. Potest quæri, vtrum eadem entitas gratiæ, & auxiliij diuini possit esse præueniens, comitans, excitans, adiuuans, & cooperans?

10. Respondeo affirmatiue. Sicut enim

idem homo relare ad diuersos effectus est sensitiuus, discursiuus, admiratiuus, risibilius, pater, auus &c. sic in casu nostro. Eadem igitur entitas auxiliij gratiui, in quantum præuenit omnes actus salutare, atque excitat ad faciendum primum actum bonum, cum operans efficit sine nobis meritoriè nos disponentibus dicitur præueniens, excitans, & operans; in quantum est simul cum consensu, & ad eum adiuuat, dicitur comitans, cooperans, & adiuuans; in quantum posito primo actu volente facit, ut nos ipsos moueamus ad alios actus bonos, & ut quod volumus exequamur, dicitur subsequens, & cooperans.

QVÆSTIO LXII.

Diuisio gratiæ in efficacem, & sufficientem siue inefficacem.

1. **D**ividitur decimo gratia in efficacem, & inefficacem. Gratia efficax est, quæ non solum dat posse, sed etiam dat ipsam liberam, & sanctam operationem: ex. gr. S. Actus Michael, & Angeli boni acceperunt gratiam efficacem, quæ nimirum dedit illis non solum, ut possent non peccare, & possent perseuerare in ipsa sanctitate, sed etiam ut de se non peccarent, & perseuerarent in sanctitate: è conuerso Lucifer, & Angeli mali acceperunt gratiam inefficacem, quæ solum dedit illis, ut possent non peccare, & possent perseuerare in sanctitate, sed non dedit, ut de se non peccarent, atque in sanctitate perseuerarent. Vtriusque gratiæ mentionem facit Augustinus lib. de Correptione, & Gratia, cap. 1. ubi loquens de Adamo, dicit. *Istam gratiam nunquam habuit primus homo, quæ nunquam esse malus, hoc est nunquam habuit gratiam efficacem ad perseuerandum; sed sanè habuit in qua, si permanere vellet, nunquam esset malus, hoc est habuit gratiam inefficacem, per quam posset non esse malus, ac non peccare.*

2. Debet aduerti, quod gratia efficax, & inefficax conueniunt tanquam in genere communi in hoc, quod sint gratia sufficientes, & pacto, quo homo, & bestia conueniunt in genere animalis. Ratio est, quia gratia sufficientes est, quæ dat sufficientiam ad bene agendum, vel ad non peccandum; sed tum gratia efficax, tum inefficax dant sufficientiam ad bene agendum, vel ad non peccandum; & gratia efficax, & inefficax conueniunt in hoc, quod sint gratia sufficientes, ac differunt in hoc, quod inefficax dat solum sufficientiam, ac non dat ipsum bene agere, & non peccare; efficax non solum dat sufficientiam, sed etiam dat bene agere, vel non peccare. Sicut autem licet homo, & bestia conueniant in hoc, quod sint animal, tamen communiter nomen animalis sine addito solemus significare bestiam, non autem hominem, sic licet gratia efficax, & inefficax conueniant in hoc, quod

sunt sufficientes, tamen communiter nomine gratiæ sufficientis sine addito solet intelligi gratia inefficax, ideoque gratia solet diuidi in sufficientem, & efficacem, nomine sufficientis intelligendo gratiam inefficacem. Nos ad vitandas æquiuocationes, cum nomine gratiæ sufficientis intelligemus inefficacem, vocabimur illam purè sufficientem; cum intelligemus genus commune gratiæ efficaci, & inefficaci, vocabimus illam gratiam sufficientem, genericè.

3. Gratia genericè sufficientis ad non peccandum potest subdividi in sufficientem solum physicè, & in sufficientem moraliter. Gratia solum physicè sufficientis est, per quam possumus aliquid, sed cum tanta difficultate, vt nemo, vel penè nemo cum æquali difficultate illud faciat. Gratia moraliter sufficientis est, cum qua possumus aliquid cum tanta facilitate, vt cum æquali plures illud faciant. Ex. gr. habemus gratiam solum physicè sufficientem ad vitanda omnia peccata venialia, per longum tempus, quia ita est difficile vitare omnia peccata venialia per longum tempus, vt cum æquali difficultate nemo vitauerit, vitet, aut sit vitaturus, iuxta illud Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*. Beata enim Virgo vitauit peccata venialia per totam vitam, quia cum præuenta fuerit gratia vberiori, quam alii Sancti, habuit potentiam etiam moralem illa vitandi. E conuerso habemus gratiam moraliter sufficientem ad vitandum per totam vitam omnia mortalia, quia licet id sit difficile, tamen multi cum æquali difficultate per totam vitam non peccant mortaliter.

4. Gratiam solum physicè sufficientem, ad vitandum omnia venialia agnouit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 6. & 7. in quibus ex professo probat hominem posse quidem per totam vitam nunquam peccare, sed de facto omnes aliquando peccare. Rationem verò, cur nemo sit, qui nunquam peccet, cap. 3. desumit ex summa difficultate coniuncta cum potentia physica non peccandi, dicens contra Pelagianos. *Acuerentem sibi videntur dicere, quasi nostrum vultu ignoret, quod si volumus, non peccamus, nec præcipere Deus, quod esset humana impossibile voluntati. Sed hoc non vident, quod ad nonnulla desideranda, vel que malè præcipiuntur, vel que malè metuuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfecte in omnibus adhibitueros esse præuidit, qui per Prophetam psalm. 14. veridicè dicit, non iustificabitur in conspectu tuo omnis caro.*

5. Huic doctrinæ Augustini docentis posse hominem esse sine peccato, & tamen neminem fuisse, vel fore sine peccato, videtur contradicere Hieronymus, qui Epistola ad Crephontem propè finem agens contra Pelagianos dicit. *Rogo, qua est argumentatio, posse esse, quod nunquam fuerit, posse fieri, quod nullum fecisse testis: idemque fufius sub Persona Attici recitantes præsentantis Catholicum disputantem contra hæreticum Pelagianum, vrget lib. 1. Dialog.*

contra Pelagianos, circa initium. Sed dicendum, quod Hieronymus negat dari potentiam moralem ad id, quod nunquam fit: Augustinus admittit solam potentiam physicam, adeoque non sunt contrarij.

TRACTATUS IX.

De gratia actuali, eiusque necessitate, & concursu ad actus salutares.

S. Thomas I. 2. qu. 109.

I. **Q**uestione 57. diuisimus gratiam, in gratum facientem, & gratis datam, ac breuiter egimus de gratijs gratis datis. Sequitur, vt fufius agamus de gratia gratum faciente. Et quia gratia gratum faciens ex dictis quæst. 58. diuiditur in actualem, quæ consistit in actualibus auxilijs supernaturalibus, præsertim illuminationum, & inspirationum, quibus Deus nos mouet, & adiuuat ad faciendos actus supernaturales, & meritorios vitæ æternæ, & habitualem, quæ consistit in habitibus supernaturalibus fidei, spei, charitatis, & gratiæ sanctificantis, & aliarum virtutum infusarum: ideo primò in hoc 9. tractatu agemus de gratia actuali, ac de eius necessitate. Tractatu 10. agemus de gratia habituali iustificante, & sanctificante. Tractatu 11. de merito, qui est effectus gratiæ.

2. Agentes igitur de gratia actuali primo referemus errores hæreticorum: secundo illos reijcientes ostendemus necessitatem gratiæ actualis: tertio probabimus diuinam gratiam præuenientem consistere præsertim in pijs cogitationibus, ac sanctis inspirationibus, eamque concurrere immediatè cum libero arbitrio non solum moraliter, sed etiam physicè ad actus salutares: quarto demum explicabimus, quo pacto pijs cogitationibus, & sanctis inspirationibus conueniant ea, quæ Scripturæ, & Patres tribuunt gratiæ præuenienti, nimirum quo pacto Deus per pijs cogitationes, & inspirationes faciat, vt faciamus, operetur, vt velimus, & det ipsum velle, exerceat partes præcipuas in producendis actibus supernaturalibus, trahat, & moueat nos, ac discernat pijs ab impio. Agentes porrò de gratia præueniente, abstrahimus semper à quæstione, in qua quæritur, vtrum sit efficax intrinsecè, vel extrinsecè, siquidem de ea per Pontificias constitutiones disputare non licet, & solum explicamus ea, in quibus contra hæreticos conuenire debent auctores vtriusque sententiæ.